



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Sed an Clerici tenentur, etiam sub mortali, impendere in pios usus partem
superfluam bonorum, quæ accipiunt ex Ministerio spirituali, ut
administratione Sacramentorum, Concionibus, Sacrificiis, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Sed an Clerici tenentur etiam sub mortali impendere in pios usus partem superfluum bonorum, quæ accipiunt ex Ministerio spirituali, ut administratione Sacramentorum, Concionibus, Sacrificiis, fungendo Vicaria temporali, &c.

Resp. Non pauci asserunt cum Innoc. in cap. Quianos. De testam. & Panormit. Quia I. ex jure non possunt de illis restari sicut de patrimonialibus, cap. 9. de testam. ibi: de his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum. At talia sunt bona illa, quæ titulo Officii aut Ordinis percipiuntur. 2. Ex Conc. Namnetensi, c. 10. Presbyteri noverint decimas & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatis uti: de quibus omnibus sciant se rationem posituros in conspectu Dei, & nisi eas fideliter pauperibus, & his qui præmissi sunt, administraverint, damna passuros. Et Conc. Rhedon. an. 1273. c. 2. Quidquid habent Clerici (scilicet ut Clerici) pauperum est. idem habet S. Aug. sup. cit. 3. Ex S. Hier. l. 14. in Ezech. ad cap. 46. Qui ditior est Sacerdos quam venit ad Sacerdotium, quidquid plus habuerit, debet dare pauperibus... Ut reddat ea quæ Domini sunt, Domino suo. & ex S. Bern. Epist. 2. ad Fulcon: ubi generaliter ait: quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. 4. Quia ejus-

ejusmodi bona sunt bona Deo consecrata, utpote intuitu religionis & cultûs divini, perinde ac bona Beneficiorum, data ad sustentationem Ministri, & alios pios usus. Nec fideles dant illam pecuniam ut mercedem operis, vel pretium laboris, (nam hoc esset Simonaicum, cum opus & labor sint spiritualia) sed ut necessitatis & subventionis stipendium, inquit S. Thom. q. 100. a. 2. ut scilicet Clerici habeant unde sustententur, & siquid supersit, in pios usus impendant, & pauperes alant pro suo officio. *Oblationes quæ à populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant; verum etiam ut eas fideliter dispensent, partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum divinum; partim verò in his quæ pertinent ad proprium victum, partim etiam in usus pauperum, &c.* ait Idem S. Th. 2. 2. q. 86. a. 2. Et verò bona Ecclesiæ, quæ à Patribus dicuntur bona Dei, & in pios usus impendenda, nihil ferè aliud erant tribus primis sæculis sub Imperatoribus ethnicis, quàm pecunia & alia mobilia, quæ à fidelibus dabantur Clericis titulo ministerii spiritualis.

Q. 6. *An Clericus, qui habet bona Patrimonialia sufficientia, potest sibi sumere ex bonis Ecclesiasticis partem suæ sustentationi necessariam, & disponere de Patrimonialibus, perinde ac si careret Beneficio?*

Resp. Longè plures affirmant cum S. Antonin.